

1907

C O D I C E S

1908

bentes libros metricae, quos prius alij scripserunt profayce, destruentes utique per hoc communem modum loquendi latinum ipsis scolariibus &c. Summam metricam per spacium fere dimidij anni Discipulis praelegi consuevisse, suam in vno mense de die in ea studendo per vnā horam intellecturos, et quae sunt eiusmodi frivola.

IV. fol. 99. manu Sec. XIV. in membrana per 2. columnas *Inci-*

piunt capitula exceptionum quarundam collectarum de opusculis beati Bernardi continencium quaedam uerba melliflua de beata Virgine M. Sunt VI. verum sequuntur VII. alia in diversos Textus N. T. sacris Oratoribus, ut videtur, destinata.

Codicem utrinque vestit Membrana *Psalterii* hebraici fragmenta nitide scripta a *Pf.* 16—34. exhibens, de qua vere dicas:

Doctior est Codice Theca suo.

DCCXCIX.

U. 45 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 205. f. partim per duas columnas minio distinctas, partim lineis longis exaratus hanc in anteriore Theca Notam praefert, *Hic continentur aliqui sermones facti in depositione defunctorum. Item expositio epistole pauli ad ephesios secundum quod legit in scolis egregius vir Magister Petrus (Reicher) de Pirchenwart, cuius anima deo uiuat. Item expositio epistole pauli ad philipenses. Item postea dubia circa epistolas predictas secundum ordinem vsque ad finem. Initium igitur faciunt Sermones XIV. funebres, partim adaptati Commemorationi OO. Fidelium Defunctorum, partim specialibus Exequiis, puta nobilis et potentis Viri, Archiepiscopi, Episcopi, Abbatis, Senis, Juuenis, multum Passi &c. Hos inter notandus fol. 20. p. 2. Sermo X. qui incipit: *Propter sapientiam et scientiam horum que dicuntur**

ducis vita longior erit. Prov: 28. Rumores flebiles et lugubres audivimus qui nobis omnibus ingerunt amaritudinem et dolorem videlicet de subtractione karissimi viri s. domini karoli ducis Regni Iherusalem et Sicilie regis Illustris — qui de morte sua dampnum magnum est et maxima iactura non solum regi patri suo. et domui regie. et toti regno Sicilie. verum etiam Romane ecclesie cuius erat fidelissimus propugnator. Est is Carolus Dux Calabriae Patri suo Roberto Andegav. praemortuus 10. Nov. 1328. Unde Orator noster: Benedictus deus qui dedit dauid in domino Ruberto iberusalem et Sicilie rege, per dauid conuenienter intellecto filium sapientissimum scilicet dominum karolum kalabrie ducem. Comparat deinceps hunc Ezechiae conterenti statuas et serpentem aeneum, et invehitur in credentes esse christi vicarium et imperatorem verum ubi non erant. Christi enim vicarius non erat tunc Rome sed in Auinione, nec Imperator

1909

H O M I L T I C I.

1910

rator verus qui modo nusquam est, ibi erat. In Italia nempe tunc nec Ludovicus Bav. nec Fridericus Austr. agnoscebantur. Bavarum deinceps et Antipapam (Petrum de Corbaria) Serpentem aeneum compellat. Cetera parum ad peculiaria descendit.

II. fol. 49. sequitur promissa superius Petri de Pirchenwart Paulinarum Expositio, e cuius ingressu quaedam ad Historiam nostram liter. facientia decerpam. Ut enim rationem daret Petrus, cur Epistolam ad Ephesios interpretandam elegisset, ita scribit: Quia felix recordationis Magister meus et pater primeus ac precordialis, Doctor sacre Theologie illuminatissimus et huius facultatis theologice fundator preualidus, videlicet Magister Petrus de Pulka, cui omnipotens deus de sua immensa clementia requiem tribuat sempiternam, legit Epistolam ad Romanos et 1^{am}. ad Corinth. Insuper et unam partem 2^e. epistole ad Corinthios, quibus sic ut premittitur lectis, Dominus uniuersorum eum de hoc seculo nequam vocauit, et pie spero, quod et nunc idem Dominus ipsum propter eius laudabilia merita et opera gloriosa ad cetum beatorum patrie collocauit. In cuius locum receptus fuit M. noster Reuerendus, videlicet M. Nicolaus de dinkel-spübel Sacre Theologie Doctor preclarus, ac dominus et pater meus precipuus, qui sequenda vestigia prenommati M. Petri de pulka pie memorie incepit legere in 2^a. epistola ad Corinth. ubi per Denis Codd. Theol. V. II. P. III.

suum precessorem dimissum fuerat, post cuius finem consequenter legit epistolam ad Galath. qua finita et ista epistola presenti incepta lecturam suam Domino nostro Domino principi ex causis rationabilibus ipsum ad hoc mouentibus resignauit. In cuius locum ego nullus, et Doctorum in Theologia minimus, ymo omnino inmeritus — sum receptus. Ideo morem suum seruando, quem et ipse seruauit in legendo post suum antecessorem incipere uolui, ubi et ipse dimiserat, et quia in hac epistola dimisit, in qua et solum unam lectionem fecit, ut ipso referente didici, ideo et hanc epistolam ad legendum pre ceteris elegi, et Domino concedente alias sequentes legam. Seruiunt haec ad horum Virorum distinguendas Lecturas, ubi ἀναστροφῆς occurrunt. Ad calcem Ep. ad Philipp. Lectura finita dicitur 1433. in die Mart. Job. et Pauli.

DCCC.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 483
Folior. 242. f. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus M. Henrici de Hassia Sermones de Dominicis per annum et Festis Domini complectitur; nomen enim illius Thecae foris adscriptum in fuga etiamnum deprehenditur, quamvis nulla eorum apud Pezium et Fabricium mentio. Ordiuntur vero a Dom. I. Adventus ita: Benedictus qui venit in nomine domini. Ewangeliū quod hodie legitur secundum breuiarium patauen. habetur etiam in dominica palmarum.